QVAESTIO MEDICA
QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE MARTIS XIX. DECEMBRIS.

M. GVILLELMO DE VAILLY, Doctore Medico Moderatore.

721

An à temperamenti viuentis mutatione ætatum temperamenta?



MIXTIS omnibus inest suum temperamentum, nec tamen omnibus perfectum: Perfectum id quod ex perfecta mixtione, perfecta mixtio quæ ex quatuor elementis simul alteratis, cuius vt non κρᾶμα sed κρᾶσις soboles est, ita κράσεως actio non occulta, sed manifesta. Est enim temperamentum, non forma mixti, non concentus mixtionis, seu quatuor qualitatum ex elementorum permixtione, non quinta qualitas, eaq́ue simplex à primis diuersa, sed quatuor qualitatum ex concursu quatuor elementorum certâ sub proportione commoderatio ad manifestas actiones edendas! Mixti tamen temperamentum in viuentibus vitæ actiones edere ne dicas, sed temperamentum viuentis: alioquin Salamandra, mandragora, papauer, quæ temperamento mixti frigidissima sunt, hoc viuere diceres, vt & allium calidissimum.



VIVENTIS autem temperamentum homini, animalium omnium temperatissimo, longè perfectiùs quàm cæteris viuẽtibus, calidum est ac humidum: suam etenim habet ὕπαρξιν in calore natiuo, qui licèt origine & essentiâ cœlestis non sit, cœlesti tamen analogus, cuius subiectum pabulumq́ue non humidum aqueum, non alimentarium, sed illud quod radicale, irreparabile, aërium, pingue, ac oleosum: quo qui abundant, si illud non sit εὔπηκτον, neque ἀξήραντον, ij longioris sunt vitæ. Solidis partibus, solis viuentibus & animatis necessariò inest calor ille innatus: quo æquè viuunt annuæ plantæ, ac palma & cupressus, quæ cæteris longioris sunt vitæ, æquè ephemerum animal, ac ceruus longæuus, & à quo omnes vitæ actiones: licèt vita actus sit animæ in corpore, cuius longitudo aut breuitas non à locis apheticis repetenda, cujus termini etsi prorogari non possint, ad vsque tamen terminum prorogari potest non à pseudomedico, non à vano Chymico, auro suo potabili aut quintâ essentiâ suâ, quam ineptè cœlum humanum iactitat, sed à Dogmatico, qui dum sanitatem conseruat, aut absentem reducit, vitam conseruat. An non Iudæis longior vita contigit ob victus rationem, quòd à sordidis cauerent, & ob cœli, sub quo olim degebant, temperiem?



ENIMVERO calidum innatum cum à semetipso, suaq́ue sponte magis magisque conficiatur, consumaturq; ad extremum vsque vitę spiritum, illùc dum contendit varias & insignes hoc interim spatio temperamentum viuentis mutationes necessariò sustinet, quas qui annorum spatiis primùm dimensi sunt, ætates appellarunt vt sit humana ætas spatium annorum, seu temporis vitæ decursum, in quo emetiendo temperamentum viuentis plurimas insignesq́ue mutationes subit. Hæc non in duas partes diuidenda, ætatem quippe augmenti, & ætatem decrementi: iuxta quam diuisionem existimabant Alexandrini, hominis cor vsque ad quinquaginta annos crescere singulis annis ad drachmas duas, deinde ab ãno quinquagesimo minui incipere similiter ad drachmas duas, ac proinde cẽtesimo anno hominẽ mori necessariò. Multò minùs in tres partes diuidenda, principium, medium, & finem. Nec minus in sex, vt Iurisconsultis placet, qui decrepitam ætatem nullo annorum numero circũscribunt. Nec in septem, vt Astrologis, vt vnicuique ætati suum Planetam tribuant. Sed in quatuor, quatuor elementis, quatuor humoribus, & quatuor anni temporibus analogas, adolescentiam, iuuentutem, consistentem ætatem & senectutem.



VITÆ ingressu ingenti calore ac humore affluit homo: Quantò enim ortui vicinior, tantò calidior ac humidior, quippe ex primordiis calidis humidis semine & materno sanguine nuper genitus, hinc adolescentia temperamento calida humida, veri analoga, prima occurrit, quæ concluditur fine extensionis partium & incrementi, extenditurq́ue ad vigesimum quintum annum. Hæc vniuersim sumpta quatuor ætates complectitur, infantiam calidissimam & humidissimam, quæ ad tertium quartũve annum prouehitur, pueritiam, quæ ad decimum, pubertatem, quæ ad decimum octauum, & adolescentiam specialiter dictam, quæ à decimo octauo ad vigesimum quintum. Hęc tum priorum tum posteriorum omniũ temperatissima: pueri & puberes inter infantiam & adolescentiã medio modo se habent. At verò vbi sensim ætate progreditur, sensim quoque humidum à calore in ipsum agente siccescere incipit, & cum terrenâ substantiâ potius iungi, quàm cum aëriâ, vel aqueâ, hinc secunda ætas sequitur iuuentus, temperamento calida sicca, ęstati analoga: quæ non ideò ad quadraginta annos extendenda cũ Varrone, quòd Rempublicam in re militari iuuare possint iuuenes, sed quinto septenario circumscribenda. Hanc qui agunt ætatem ἀκμάζοντες, νεανίσκοι dicuntur, adolescentibus calidiores.



CVM autem immutabilis calor persistat ad medium vitæ cursum, hinc sensim vbi languescere incipit, tertia ætas sequitur, quæ consistens, constans, & confirmata, virilis, media & inclinans dicitur, temperamento frigida sicca, Autumnoq́ue analoga constituitur, quam qui degunt καθεστηκότες dicuntur, quòd omnia, quæ geruntur in vita, non aliter adhuc facere aggrediuntur, quam qui floridam, ac iuuenilem ætatem agunt. Hæc verò ab anno trigesimo quinto ad quadragesimum nonum excurrit. Ast vbi decrescere, & à robore suo declinare incipiunt, tunc senescere dicuntur, vt iure meritò dici possit senectus viuentis defectus naturalis, quam vt euitare impossibile est, ita eius celeritatem coërcere possibile: quæ licèt frigida sit & sicca, frigida tamen & humida hyemiq́ue analoga. Ad hanc calidi frigidis, viri mulieribus tardiùs perueniunt. Tardiùs etiam senescunt, qui loca edita apertaque colunt, ocyùs verò qui caua & palustria. Quibus citiùs calor deficit, ijs citiùs canities, quæ non pili putredo dicẽda, accidit. Senectus non vna quidem, sed triplex, Prima seu cruda viridisque, media seu quieta, & postrema seu decrepita. Ὠμογέροντες à quadragesimo nono ad sexagesimum annum extenduntur. Mediam qui agunt, ad septuagesimum, quibus à cibo Εὐδέμεναι μαλακῶς, ἡ γὰρ δίκη ἐστὶ γερόντων: Postremam, quam vesperam aut occasum vitæ dicere possis, ad octuagesimum annum, in qua licèt infirmæ valdè sint facultates: Non ideò tamen senectus morbus naturalis est. Minùs enim senes ægrotant quàm iuuenes: qui licèt æstate quàm hyeme meliùs se habeant, periculosiùs tamen calidis morbis ægrotant, quàm frigidis. Denique vt sol pro vario ad nos accessu & recessu quatuor anni tempora: sic temperamentum viuentis pro vario caloris natiui accessu & recessu quatuor ætates, earúmque temperaturas designat.

Ergo à temperamenti viuentis mutatione ætatum temperamenta. 167

Proponebat Lutetiæ GVILLELMVS GVERIN Parisinus. A. R. S. H. M. DC. XXVIII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Thomas Gamare.
M. Antonius Charpentier.
M. Franciscus Pijart.
M. Petrus Girardet.
M. Antonius Robin.
M. Nicolaus Regnier.
M. Guillelmus du Val. P. R.
M. Ioannes Akakia. M. R.
M. Gasparus Brayer.

